



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Tit. VIII. De Dilationibvs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

## IN TIT. VIII. DE DILATIONIBVS.

## SUMMARI A.

1. *Dilationes alie probatoria.*
2. *Alia citatoria.*
3. *Alia deliberatoria.*

**D**ilationum aliarum sunt probatoriæ, quæ dantur ad producendos testes, de quibus in *Summa lib. iv. tit. x. §. 8.* \* Alia citatoriæ, quæ dantur citato & in ius vocato, ut compareat & se sistat Judici ad diem dictum; quæ si eo die non veniat, iterum & tertio vocandus est per intervallum non minus decem dierum, *l. Ad peremptorium 68. cum l. seq. D. De iudic. vel peremptorie unicâ citatione pro tribus.* Vide *Summam d. lib. iv.*

*tit. 11. in fine.* Quo casu cavere Judex debet, ne terminum nimis brevem assignet, maximè cum de rebus Ecclesiasticis agitur, *c. 1. hoc tit.* Quia in re hodie stylum cuiusque Curie sequimur.

Sunt & dilationes deliberatoriæ, quæ reo tempus indulgent, ut interea deliberet, an & quid ad actoris petitionem respondendum putet. Tempus similiter est decem dierum, *Auth. Offeratur C. De lictis contesti ex Nov. 53. De exhib. & introducendis reis &c. c. 3. vers. Sancimus:* nisi petitio actoris talis sit, quæ non requirat dilationem aliquam deliberatoriæ, *c. 2. hoc tit.* Vide *Summam lib. iv. tit. v. §. 4. V. A.*

## IN TIT. IX. DE FERIIS.

## SUMMARI A.

1. *Feria alia repentina, alia solennes.*
2. *An his renuntiare possit. Genus flexio inter Pascha & Pentecosten non faciendâ.*

**F**eriarum sive repentinæ, quæ ob res feliciter gestas à solo Imperatore vel Principe supremo indicuntur, sive solennes sicut, cultui divino dicantur vel colligendis fructibus, ut sunt ferie mensium & vindemiarum, dilationum temporibus connumerantur, *l. 3. C. De dilationib.* quia ut intra tempora dilationum interim Judicis officium conquiescit, ita & temporibus feriatur. His tamen, quippe in singulorum gratiam introductis,

renuntiare partes possunt, non etiam illis, quia sunt iuris publici; nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat, *c. ult. hoc tit.* Sic diebus Dominicis omnibus mercatus vel nundinæ haberi prohibentur: item iudicia exerceri & sacramenta, id est, iuramenta (nisi pro pace vel alia necessitate) præstari, *c. 1. hoc tit.* Vide *Summam lib. iv. c. 2. §. 5.*

Addendum & illud, diebus Dominicis, & aliis præcipuis festivitatis, sive inter Pascha & Pentecosten genium flexionem nequaquam debere fieri, nisi quis faciat ex devotione in secreto, *c. 2. hoc tit. V. A.*

## IN TIT. X. DE ORDINE COGNITIONVM.

## SUMMARI A.

1. *Major causa trahit ad se minorem.*
2. *Quomodo declaratur exemplis.*

**O**ccurrit hoc Titulo quo ordine quælibet actio vel exceptio cognosci & terminari debeat, maximè circa quæstiones incidentes in iudicium, priusquam ulterius in causa principali procedatur. Quod spectat Reg. Paali J. C. Per minorem causam maiori cognitioni præiudicari non oportet. Maior enim quæstio minorem quæstionem ad se trahit, *l. 54. D. De iudic. id est,* Ubi plures causæ concurrunt, quarum una est maior, & alia minor, ibi maior causa est prius cognoscenda & definienda, sive ab eodem sive alio Iudice, & sive agendo sive excipiendo proponatur. Exempli gratiâ, si quis petat hæreditatem

tamquam filius vel proximus defuncti cognatus, & reus neget esse filium vel cognatum, hic prius cognoscendum est de causa natalium, tamquam maiori & præiudiciali, quàm successione, quæ minor est, ut dependens ex illa, *c. 3. hoc tit.* Idque coram Iudice Ecclesiastico, quia causa, de qua agitur, est Ecclesiastica. Sic contra mulierem vindicantem aliquem in matrum admittitur exceptio consanguinitatis, quæ primò discutienda est, *c. 1. h. t.* Sic agenti spoli nomine aut reus vicissim obiicit exceptionem spoli, ad intentionem adversarii repellendam, & tunc prius de spoli exceptione cognoscendum est, quàm de actione spoli: aut reus vicissim agit se esse spoliatum, & tunc simul cognosci debet de utraque causa, quia uterque est actor, alter conveniendo, alter reconveniendo, *c. 2. vers. sed quoniam hoc tit. V. A.*